



# **Oratio funebris de Diuo Maxaemiliano II. Imperatore Caesare Augusto, &c.**

<https://hdl.handle.net/1874/422862>



cl.  
5.

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board













E.  
2



E. oct.

274<sup>s.</sup>





2. 80 274 3/

gec

ORATIO FVNEBRIS  
DE

Diuo Maxæ-  
MILIANO II.  
IMPERATORE CÆ-  
SARE AVGVSTO, &c.

A

IOANNE CRATONE A  
*Craſtheim, Conſiliario & Medico  
Caſareo, &c. ſcripta.*



FRANCOFVRTI.  
Excudebat Andreas Wechelus.  
M. D. LXXVII.

OR NEW YORK

DEPT. OF THE

STATE

OFFICE OF THE

SECRETARY

OF THE

LAND OFFICE

ALBANY

1880

NO. 1

1880


1880

1880

1880

1880

# ORATIO.


**T**INAM præpotens DEVS, in  
 cuius manu sunt ea omnia,  
 quæ fatali necessitate fieri exi-  
 stimamus, eam facultatē mihi  
 dedisset, vt **DIVO MAXIMILIANO**  
 Imper. Cæsari Augusto, Sacratiss. M. è  
 morbo exitiali restituto gratulari potius  
 licuisset, quàm lugubri isto tempore  
 & loco, Optimi Principis, beatam illi  
 quidem, nobis verò & Reipubl. luctuo-  
 sam ex hac vita migrationem lamentari:  
 Nihil equidē in ista ingrauescente ætate  
 mea, in qua propè viuendi dulcedine o-  
 mni careo, post tot exantlatos pro illius  
 salute labores, facerem libētius. Verùm  
 cùm summo rerum omnium Imperato-  
 ri, cuius clementia Sacratiss. M. Impera-  
 tor sæpè ex grauiissimis morbis nostra as-  
 sidua & sollicita cura est cōseruatus, nūc  
 ex hac statione periculosa & multiplici-  
 ter ærumnosa, Opt. Cæsarem euocare  
 visum fuerit; & quòd illius voluntas, in  
 quo sumus, viuimus, & spiramus, statuit,  
 rectissimum putare, quantumuis acer-  
 bum

bum nobis esse videatur, pietas iubeat; eam in squalore & luctu hoc nostro ut colamus, par est. Equidem, si quantum doloris sustineo, tantum eloquentiæ, celebritati funeris, piæ afferre, paremque acerbitati eius facultatem dicendi atque copiam habere possem, præter cæteros eximium aliquid præstarem. Sed cum dolore superer, & ingeniû, si quod fuit, tot aduersis rebus planè hebes sit; subuereri in mentem venit, ne pietas mea temeritatis nomine à censoribus iniquis appelletur. Memoriam certè & recordationem virtutum, cum eas propiùs in S. M. Imperatore nostro aspexerim, si expressiùs quàm multi alij me animo tenere dicam, minimè mentiar. Quamuis igitur ardua res sit, atque haud scio an æquè vlla magis, virtutes maximè memorabiles & præclara in Rempubl. Cæsaris merita, prædicatione grata celebrare: tamen cum æquissimi quique & prudentiæ laude præstâtes, in magnis ex animo voluisse, ea quæ nostrarum partium sunt, fat esse putent, omissa recitatione, quæ atauorum atavos, & quicquid in augustissima





& facultas voluntatem æquare non poterit, veniam vt spero, æqui æstimatores mihi daturi sunt, & cùm ea me sententia esse intellexerint, vt ineptus potius quàm ingratus (in quo vitio omnis vitiorum turpitudine inest) videri malim, etiam (si forte hoc necesse erit) pietatis meæ studium aduersus malevolentie morsus defensori. Sunt heroicæ virtutes Diuinæ lucis radij: Sunt Principes in terris viuæ DEI imagines, neque genere tantum & quasi humano artificio, sed DEI munere, vt caput inter membra excellunt. Itaque vt meritissimo viuos omni venerationis studio colimus: ita de mortuorum memoriam gratissima commemoratione, vt posteri ad culturam virtutis exemplo incitentur, celebramus. Hac mente non solum Ægyptij, Indi, Græci & Romani, suos in funere laudârunt, verum etiam Ecclesiæ lumina pios Principes, vt Beatus Ambrosius, Valentianum, Theodosium, Gratianum Impp. commendârunt: Impietate autem sub Domitiano, Traiano, Adriano, Antonino, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano vigente, Martyres hoc modo

modo ad sustinendos cruciatus animâ-  
 runt. In promptu esset plurima exempla  
 recitare, sed non debeo, re præsertim cõ-  
 uersa. Institutum igitur vt teneam, cùm  
 in vna qualibet re, ipsa res seu materia &  
 artificium spectetur, in spem venio, cùm  
 tanta sit materiæ, quæ nobis in manibus  
 est, bonitas, eam sine magna elaboratio-  
 ne nostra, admirationi, & dignam, quam  
 opt. quisq; gratissimo animo in hac luce  
 positam complectatur, futuram. Caput  
 autem omnis virtutis Pietas, Apostolo  
 teste, ad omnia utilis, meritò perhibetur:  
 Ea in æterni DEI vera cognitione atque  
 veneratione sancta cõsistit, à qua nisi ho-  
 mo Deprecatore CHRISTO vnico, in  
 quo æternus Pater omnia numerat & pō-  
 derat, fultus, DEO cõmendetur, insignes  
 virtutes vsque adeò à vitio nō absunt, vt  
 etiã iustissimo DEI iudicio, in vitio po-  
 nãtur. Quid enim sūt virtutes sine DEO?  
 Certissimū autem in Principe virtutis ar-  
 gumentum est, firma atq; stabilis de diui-  
 na prouidētia animi persuasio: hæc si ab-  
 sit, quæ in bonis rebus moderatio, quæ  
 in aduersis consolatio existere potest?

Eare vt **DIVVS MAXIMILIANVS** ad-  
 uersus omnes humanos casus se diuinæ  
 prouidentia firmissimo præsidio muni-  
 tum ostenderet, Symbolo isto, **DOMI-**  
**NVS PROVIDEBIT**, utebatur. Est quidē  
 hoc dictū anxij patris, & ijs miserijs, quæ  
 ipsa morte acerbiores & grauiores sunt,  
 cooperti. Nam cūm fidei probatissimū  
 exemplum Abrahamus, filium vnicū  
 Isaacum, de quo amplissimas promissio-  
 nes diuinas habebat, ab ipso **DEO** macla-  
 re iussus esset, incredibili luctu oppressus  
 & toto corpore vacillans, montē **Moriæ**  
 ascendens, & à dulcissimo filio iam iam  
 immolando, cuius in lignis ferendis ope-  
 ra tāquam baiuli utebatur, interrogatus  
 de victima, illud (**DOMINVS PROVIDE-**  
**BIT**) respōdit: Ad filij autem necem ob-  
 firmatus, & voce cælitus audita à cæde  
 retractus, locū, in quo suæ inexplicabili  
 miseriæ **DEVM** subuenire, doloremque  
 optatissimo euentu mitigari perspectum  
 re habebat, repetito quasi oraculo, quo  
 paulò antè filio responsum dederat, **DO-**  
**MINVS PROVIDEBIT**, nominabat. In  
 eo verò loco, cūm eternus, iustus, & mi-  
 sericors

sericors DEVS vniuerso generi humano, misso filio coeterno Domino nostro IESV CHRISTO, Messia vnico, quem sacrificium pro peccatis nostris oblatum voluit, omnibus seruadis prouiderit, pij scriptores Adamū, Abelum, Seth, Noë, sua quoq; sacrificia obtulisse, & prope hunc Hierosolymam conditā, referunt. Sed hæc exquirere nō est nostri instituti. Qua verò occasione simbolo isto primum DIVVS MAXIMILIANVS vti cœperit, affirmare nequeo. Quin istas cogitationes, quas Christianū hominē, veræ pietatis fundamento insistentem, de Diuina prouidētia habere par est, sæpè susceperit, persuasissimū habeo. Magnam cōsiliorum atq; actionum in vita humana infirmitatem & varietatem esse neq; vllius sapientiam, prudentiā aut potentiam, consiliorum vel actionū susceptarum euentum præstare posse. Itaque hoc ratum, firmū & fixum illi fuit, Nihil vnquam euenisse, nihil vnquam euenturum, quod dominus ille cæli & terræ nō prouiderit. Imperia DEO autore constitui, & eodē custode sustentari. Hac sen-

tentia qui ad gubernacula sedent, nihil de sua diligentia, quã DE I mandato adhibere iubemur, neq; cum diuina prouidẽtia, vt Stoica pietas arbitratur, pugnat, remittunt: Sed omnes animi & ingenij neruos intendunt, vt ad diuinam voluntatem omnia sua consilia conuertant & conforment: Euẽtum verò felicem pijs votis, vt Christianos decet, exoptãt. Hac mente fuisse optimum Imp. qui omnem illius vitam intuetur, qui in singula dicta & facta rectè inqrit, animaduertet. Nũquid enim, cùm DOMINVM prouifurũ diceret, alium se longè superiorem esse, qui res humanas gubernaret, & in cuius manu vniuersa esẽt, qui sibi has in Christiana Republ. parteis dedisset, nõn affirmabat? Huius igitur imperio & volũtati, non suã, obsequẽdum, hunc authorem hereditariũ virtutum, eminẽtiã inter homines, deniq; felicitatis omnis agnoscendum, & ab eo rectum consilium & auxilium efflagitandum statuebat. Hac, inquã, sentẽtia cùm Optimus Imp. esset, haud dubiè nobis oscitãtib; cum DEO assiduis precibus, etiamsi ex præscripto

cas

eas non recitaret, egit: Mentem enim æternā esse DEVM, & mentis nostræ officio coli, atq; omnibus in locis, omni tempore præsentem, res & corda nostra intueri statuebat. Itaq; diuinæ Maiestatis cultor esse, quā videri maluit. Gemitus atque suspiria exornationes precum, nō elocutionis suauitatem, aut verborū exquisitam varietatē esse sciebat, atq; illud Augustini tenebat, Non in laborū motu, verūm cordis, orationem ad DEVM consistere. Neq; nullam cultus diuini significationem dedit: semper enim cū tacitus vel ad lectum vel ad mensam oraret, suspirare ijs, qui in interiore consuetudine fuerunt, visus est: In publico verò vt sublectū se DEO, in cuius manu euentus esset, omnibus testaretur, quoties signum precū datū, in genua procubuit: Et cū castra ad Iaurinū & Comarū haberemus, atq; nocturnarum precum tēpus in cœnam incideret, de mēsa surrexisse & in terrā se abiicisse cōspeximus. Quotiescūq; autē publica delictorū cōfessio pronuntiabatur,annon intentis oculis cælū intuebatur? Quis igitur tā im̄pbus,  
& per-

& peruersus rerū æstimator, vt **D I V V M**  
**M A X I M I L I A N V M** illud, **D O M I N V S**  
**P R O V I D E B I T**, temerè vsurpasse, ac non  
 potius toto pectore isto modo pietatem  
 sincera professū esse, affirmare ausit? Cū  
 verò ij quibus omnia in diuina prouiden-  
 tia sunt reposita, vbiq; sibi constent, nul-  
 lius euentus sollicitudine & cura de suo  
 gradu deijciantur, qua mente & **D E V M**  
 coluerit, & inuocauerit Imperator no-  
 ster, facile est existimare. Quid enim di-  
 uina prouidentia est, nisi & liberrimum,  
 sapientissimum & iustissimum **D E I** de-  
 cretum, secundum quod quicquid fuit,  
 quicquid est, quicquid futurum est, gu-  
 bernatur? Quid preces nostræ aliud quā  
 supplicationes, vt quicquid cogitamus,  
 cōsultamus, vel agimus, benè feliciterq;  
 hoc est, ad diuinam volūtatem eueniat?  
 Quid homine ac imprimis Principe abs-  
 que imploratione, absq; spe diuini auxi-  
 lij viuente, miserius? Ita q; **D I V V M M A-**  
**X I M I L I A N V M** ea firmitate & præsentia  
 animi fuisse, cū lux diuinæ prouidētiae  
 ei affulisset, ita **D E V M** in sua vota vocaf-  
 se, & non alienę mētis cogitatis, sed pro-  
 priæ,

priæ, quæ verè necessitatem præsentem, & diuinam in præstando bonitatem in-  
tueretur, vsu, nõ mirum. In ista autem  
luce dum humana mens versatur, nihil  
nisi quod iustissimum, rectissimum, & di-  
uinæ volũtati congruẽs sit, velle DEVM,  
agnoscit, nihilq; nisi quod cælestis prou-  
dẽtia nobis ex vsu & salutare esse statuatur,  
vera animi obedientia & summissione  
expetendum perspicit. Non igitur dum  
se ad DEVM conuertit, eiusq; opem  
implorat, formulas exquisitas recitat, &  
DEVM sibi obligatum atque obstrictũ  
propter tot tantaq; verba existimat. Ac  
si optimus Cæsar in errorẽ, quo vniuersa  
philosophia imbuta est, quæ existimat  
DEVM tanquam Principem res magnas  
gubernare, sed in singularũ administra-  
tione vicaria opera vti, non est raptus, læ-  
temur eum hac in parte scholam Plato-  
nicam & Aristotelicam, qui sordidari di-  
uinam Maiestatem vilium rerum cura  
arbitrantur, repudiasse. Sed de his ne plu-  
ra. Hoc ex DIVO MAXIMILIANO sæ-  
pè auditũ, meritò eos fatuos censerì, qui  
opinionẽ suã falsi, ad fatum & fortunam  
confu-



confugiunt, & excusationē suæ oscitan-  
tiæ & negligentia ac fatuitatis potius pa-  
rant. Itaq; vt seipsum de Diuina prouidē-  
tia confirmaret, ordinē mirificum in vni-  
uersa natura rerum, eiusq; conseruatio-  
nem inspexisse, & in exiguis etiā anima-  
libus insignes Prouidētia diuinæ notas  
studiofissimè obseruasse, scimus. Nūquā  
verò DEVM, id quod eximia pietatis est,  
ad facti sui rationem quasi reddendam,  
traxisse: Nunquam in illius diuinam vo-  
luntatem, etiam si euentus minimè esset  
optatus, inquisiuisse: Iustissimum atque  
rectissimū, quod DEO visum fuerat, sem-  
per duxisse, & æquissimo animo, (licet  
graue & aduersum videretur) quod eue-  
nit tulisse. In capiendis consilijs nihil suę  
prudentiæ, nihil intelligentiæ, qua diui-  
nitas summa ornatus erat, nihil ingenij  
perspicacitati tribuisse: Nullis externis  
præsijs cōfissum, vt ea adessent, spem in  
illis reposuisse, neq; illis destitutū corde  
suo trepidasse: Non præsentium rerum  
explorata facultate animum à diuina gu-  
bernatione abduxisse, itaque in aduersis  
firmum, in secūdis moderatū semper se  
præsti-

præstitisse, perspectum est. Hac quidem animi de æterna Prouidētia persuasione in ista difficultate Imperiorum, quæ nūc maxima est, nullū præsentius præfidiū, nullam ad iram, indignationē, deniq; affectiones omnes moderandas remediū efficacius. Hæc in secundis rebus veram suauitatē affert, in aduersis solatiū præstat, dū non casu, non inscio DEO, nos in ordinem quasi redigi, & paternam ferulam interdum pati ostendit: hæc cautos reddit, ne in lubrica ista vita neglecto DEO labamur, vel oscitātes periculis obruamur: Deniq; omnium cogitationū, omnium actiōnum, etiam quæ sine vllō teste suscipiūtur, testem DEVM grauissimum & incorruptissimum statuit. Quid igitur Critice in MAXIMILIANO IMP. Optimo pietatis, quæ, vt D. Ambrosius in oratione quadam funebri scripsit, omnis virtutis est seminariū, desideras? An vt tui similis ambitione tetra & superstitione inani fiat? & se à DEO sapiētissimo & iustissimo, ad creaturas caducas, fallaces, & multis modis mutabiles, conuertat? Excute tuam conscientiā, si quā habes, & memineris, Opt. Cæsarē nunquā

sibi de alterius cōscientia iudicium sum-  
 pisse: sed ppetuò in cura religionis vim  
 ab animis hominum remouisse. Clarè e-  
 nim plurimis audiētibus, ante annos de-  
 cem, cū Antistitem Olmucēsem Gui-  
 lielmū alloqueretur, hoc est professus,  
 Nullum peccatū grauius esse, quàm con-  
 scientijs velle dominari. Meminerunt  
 etiam multi, quid principi regnum fu-  
 gienti, & eadem fuga appetenti: cū ad  
 se diuertisset, subridēs dixerit: Eos nimi-  
 rum, qui in conscientias sibi imperiū su-  
 munt, cæli arcem inuadere, non raro po-  
 testatem, quam in terris habent, amitte-  
 re. Videntur quidem hæc, ad licentiam  
 quasi nimiam, fenestram subiectis pate-  
 facere: sed si vera rem reputemus via, eò  
 tendebant, vt pace illa vel tolerantia po-  
 tius in Germania constituta, in qua ani-  
 morum pax consistit, cuius authorem sa-  
 pientissimum Principem, DI VVM FER-  
 DINANDVM Imp. S. M. parentem suū  
 habebat, nihil antiquius sibi, nihil præsta-  
 bilius Christianæ reipubl. duceret, præ-  
 fertim cū exitiales morus sedare non  
 posset, & animos ita exulceratos & dis-  
 tractos

tractos animaduerneret, vt nulla cōsen-  
 sionis spes, nullus remedij locus videre-  
 tur. Nunquid tu Opt. Imperatorem fran-  
 gere aut penit<sup>9</sup> euellere potuisse ista exi-  
 stimas, quæ nec flectere quidem licuit?  
 Libertatem nimiam dissolutionē & diffi-  
 pationem cōsequi, optimè intelligebat,  
 idq; vsu sibi euenire, vt apud comicū qui-  
 dam ait, Tu si hic sis, aliter sentias, cōque-  
 rebatur. Qui factū **DIVI FERDINAN-**  
**DI** Imp. factum nollēt, moderationemq;  
**Cæsar** **MAXIMILIANI** vituperant, ij  
 intelligēdo faciūt, vt nihil intelligāt, neq;  
 suæ saluti maximè consultū fuisse vidēt.  
 Certissimæ autem pietatis sinceræ mini-  
 meq; simulatæ hæ fuerunt notæ, quòd &  
 de firmitate sacræ Scripturæ, atq; animæ  
 non immortalitate tātū, verū corpor-  
 rum in vitam reditu, sermōnes frequen-  
 tissimè habuit: & sibi argumentorum ca-  
 pita, quorū cogitatione & cōsideratione  
 confirmabatur, annotari voluit. Extat li-  
 bellus, quē cū aliquid à catenatis labo-  
 ribus vacui tēporis fuit, sæpè legit, in quo  
 & hæc insunt, & pij Principis idea propo-  
 nitur, atq; primæ, puræ Catholicę Eccle-

siæ sentētia, ex piorum Doctōrum, quos  
 Patres nominam⁹, scriptis, de præcipuis  
 capitib⁹ Christianę doctrine exponitur.  
 Hunc libellū si quis fortè aspiceret, quid  
 senserit, quid pbauerit, quid sibi tenēdū  
 Imperator putauerit, veriū quā ex suis  
 suspicionibus & cōmentis, & quorundā  
 iniustissimis sermonibus, perspiceret. Ni  
 hil fingo, neq; veritati addo: vos qui in in  
 timis cōsilijs & vsu fuistis appello, annō  
 multorū annorum Opti. Principis vita,  
 nihil aliud quā mortis meditatio fuerit?  
 Quoties diurnā vitā precantibus, reni  
 dēti ore ita optata excepit. Sibi satis diu  
 turnam vitam, quātumuis brevis spacij  
 futuram, quæ immortalis DEI consilio  
 esset præfinita? Paucis antè diebus quā  
 lethalis morbus Opt. Cæsarem opprime  
 ret, Generosissimus Dominus Adamus  
 Dietrichstaini⁹ Palatij Cæsarei præfect⁹,  
 & cōsiliarius fidissimus, gratulatus Imp.  
 MAXIMILIANO fuerat, q̄ annū clima  
 ctericū septimū supasset, huic sua manu  
 rescripsit, Oēs annos sibi esse clima  
 ctericos. Plato Philosophiam meditationē  
 mortis appellauit: in qua qui versantur,  
 huma-

humanis lapsibus minus expositos, diuinæ literæ nos docent: Multò veriùs Christianismum rectè moriendi, hoc est aspirandi & contèdendi ad CHRISTVM vnicum salutis nostræ portū ex hoc procelloso pelago, in quo periculosissimè iam etiamur, meditationem existimandam. Fuisse autem totum in ista cogitatione, plurimis verbis in vita, & vera animi præsentia in ipsa morte obeūda, declarauit. Quàm grauitè sæpè Epicuri illud commentum de libro Lazari detestatus est? Neq; aliam veritatem, quàm diuini verbi in quæstionibus à ratione humana remotissimis quærendam affirmauit. Memini me Platonica testimonia, atq; illud quod de Ero Pamphilio milite, qui decimo à clade die reuixerit, affert, commemorare: idq; cùm Cæsari nō satisfacere (multa enim Plato de sermone Eri, cui probitatē laudat, adducit, ex quibus mirifica deinceps somnia alij, non ad coërcēdos homines à sceleribus, quod Philosophis & Poëtis popōsitum fuit, sed ad rē amplificādā confixerūt) citare Eusebij authoritatē, q̄, vt probaret Platoni reditū corporum nostrorum in vitā persuasum

fuisse, hoc exemplū in mediū proferret: Addidisse etiā illud, Plutarchū scripsisse, Eunarchum quēdam mortuū reuixisse: & Plinium aliquot eorum qui elati in vitam redierunt, historias recitare: D. Augustinum quoq; Varronis atq; Labeonis authoritate uti: Sed vt maximè non improbaret ista Cæsar, auitam tamen illam sanctorum Patrum de corporum redintegratione & resurrectione sententiam nunquam satis à posteris retentam, affirmabat. Dixi hæc, vt alia diuinæ sapientię documēta, fabulis à Græcis inuoluta esse, hinc illam de Æsculapio Medico, qui Hippolytū à Phocis marinis discerptū, in vitam restituerit, narrationē ortam; Ad hæc Optimus Imp. inquit. Quot me belluę lacerant? quas ego vel in meo sinu etiamnum circumfero, vel omnibus beneficijs mihi deuincire, ne Reipub. damnum dent, conor. Sed subitò se repressit, & ad illam diuinam suam moderationē redijt. De pietate AVGVSTI oratio nostra quasi scopulos quosdā præteruecta, longius excurrit. Cū veniō cæterarum virtutū lenior quasi aspiratio sese ostendat,

dat, cum cursum quē temporis breuitas concedere videtur, tenebimus. Est autē moderationis AVGVSTIAM facta mentio: Ea virtus vniuersas virtutes, cū omnes mediocritate quadā moderatæ sint, & in laudabili medio consistāt, comprehendere videtur. Medium tenere beatitatis semper est habitū: cū vtrobiq; vel exuperātia vel defectus multiplex reperitur. Ad medium igitur qui contendit, atque in eo consistit, quin moderationis & æquabilitatis locū & laudē obtineat, nemini perito dubium. Singulare verò studium hac in parte, & in huius virtutis cultura fuisse Diui MAXIMILIANI II. vt exemplo quasi comprobetur, nemo, nisi ignarus rerum omnium, quæ ad salutē Imperij suscepta ab illo atq; acta sunt, ignorare potest. Quando enim in Rom. Imperio plures vel maiores turbæ, dissensiones atq; distractiones fuerunt? Quādo post homines natos, in vniuerso terrarū orbe tantus vbique bella gerendi ardor? In communi hominū vita quid nō dissolutum & perurbatum? Authoritate igitur, et si Imp. noster se à DEO septū & mu-



nitū intelligeret, neq; huic ipse vllō loco vel tempore deesset: tamē eam esse malivim & animorū exulceratorū obstinationem, vt non tam legibus quàm exemplo ad moderationē flecti atq; duci posse cū animaduerneret, quid rectam existimaret, moribus & vita, quàm legum auctoritate, cū nullo modo diuinam auctoritatem imminutam vellet, demonstrare maluit. Certamina igitur de Religione ingentia & capitalia, quæ irritatis animis & inflammatis etiam cupiditatibus fuerunt, cū nulla ratione commota sedare posset, insigne documentum moderationis, lenitatis & æquabilitatis statuit. Duos enim senes, Ioach. Camerariū & Christoph. à Karlovvitz, armatæ militiæ Equitem auratū: sapiētia, moderatione, doctrina varia & vera, ac imprimis purioris antiquitatis instructos, pia & prudēti considerātia, & vsu rerum præditos, quibus initia & progressionēs earum deliberationum & actionū omnium, quæ Diuo CAROLO V. Imperiū gerente, susceptæ sunt, notæ atq; perspectæ essent, ne actū ageretur, in consiliū adhibuit, & gravissimā

ma oratione initio est testatus, se gloria  
 diuinæ & suorū saluti imprimis cōsultum  
 velle, neq; spectare quid hic vel ille pro-  
 baturus vel imppbaturus sit: Sed cū sciat,  
 & bonis in terra omnib. & verò ipsi Deo  
 Opt. Max. moderata p̄bari, ne quid im-  
 moderatè fiat, se illos, quorum studium  
 plenū pietatis & officij hac in parte sæpè  
 perspectum sit, adhibere, atq; per omnia  
 sacra & sancta postulare, vt in medium  
 consulant, & viam ad veram consensio-  
 nem, in qua vestigia recta, inundantibus  
 quasi hominum opinionib. nulla prope-  
 modum rectè impressa appareant, com-  
 monstrarent, eamq; quibus scirēt modis  
 concinnarent atq; munirent. Videbat. n.  
 Sapientiss. Imp. vndiq; audacissimorum  
 & improbis. hominū in latebris sese oc-  
 cultantium, & singularem in modum re-  
 ligionē simulātium, libidinē & effrenatā  
 cupiditatē homines in suam sententiam  
 pertrahendi, atq; assensionē improvidæ  
 multitudinis quasi nimbū imminere p̄-  
 spiciebat. Itaq; nō sine causa verebatur,  
 si eodē cōfluerēt mala inundātia, ne elu-  
 uiones v̄hemētes reb. sacris & publicis

grauissimum damnū darent. Vulgi enim  
 cōcursus, astipulationes, & multitudinis  
 opinionibus declamationes idoneæ, ex-  
 audiebantur: & ne cupidi rerum nouarū  
 concitarētur, periculum erat. Et si enim  
 applausus & testimonium vulgi non gra-  
 uissimum, sed leuissimū etiam perhibea-  
 tur, & nihil ideò laudandum atque pro-  
 bandum, quia multis placeat, videatur:  
 tamen formidolosæ tempestatis sæuitiā  
 pertimescere, eāq; quibus scias possisq;  
 rationibus auertere, sapientiæ est: Non  
 autem insaniam superari insaniēdo, sed  
 prudenter atque moderatè ad confide-  
 rationem recti atq; veri deducēdo, qui  
 vera ratione vtuntur, sciunt. Opti. verò  
 Imperator hoc persuasissimū sibi habe-  
 bat, ista via, quam ingressos quosdam in-  
 feliciter, magnæ maximarum rerum rui-  
 næ testabuntur, minimè rectè cælū peti,  
 neq; isto modo in discrimen suos venire  
 vnquam voluit. Sedendo igitur & quies-  
 cendo, vt de Romanis dictū accepimus,  
 turbata, inquieta, ac propemodū euer-  
 sustinere, & in aliqua spe melioris status  
 fulcire, & afflicta sanare atq; erigere stu-  
 dit.

duit. Quantum paterna Imp. verè patris cura profuerit atque profecerit, explicare neque possum, neq; debeo: Cōsilium rectum fuisse, neminem sanum & rerū communium intelligentem, negare arbitror, etiam si de Doctrina Ecclesiæ nūquam sibi iudiciū sumpserit. Re ipsa verò & manifestò cōperire sapientes Principes & Reipub. gubernacula tenentes, quæ opinionū vis in vtramq; partem sit, nullum dubium est: Ad eas autē opiniones si vulgi temeraria petulantia sese applicet, & illorum hominum, qui ad quælibet dijudicanda, probanda, atque culpanda idoneos se putant audacia atque confidentia, munita aliqua auctoritate, accedat, quæ diuinarum atq; humanarum rerum confusio sequatur, qui non videt infeliciter cæcus est. Dū maxima pars in vno errore, vel vna veritate, in quo propemodū exemplo (cū vix vnquam tātum vbique in terris sit lucis, vt non restent aliquę errorum nebulae) destituimur, consentiunt, alia ratio est. In Germania, vt his tēporibus & moribus illud fieri posse existimemus, nimis incō-

sideratæ p̄suasionis videtur. Nihil igitur  
 quiete, in qua imploratio Diuini auxiliij,  
 & sanctitatis disciplinæ (cui salus Reipub.  
 magis, quã vllis propugnaculis debetur)  
 custodia vigeat, & cura, ne externis ho-  
 stibus ad impressionem & oppressionem  
 aditus pateat, non dimittatur, in his acer-  
 bissimis diffidijs & cõuellendi atq; euer-  
 tendi res bonas insania, rectius & præsta-  
 bilius. Sæpè, vt Poëta scripsit, Libertas li-  
 bertate perit: Hui⁹ verò vsus cõceditur,  
 si quod ex diuina sententia iuberis, velis  
 atq; facias. Sed in hãc quasi syluam den-  
 sam atq; asperã nos ingredi nõ oportet:  
 Excindere velle omnia atq; exurere, ni-  
 mis magnæ temeratis & confidentiæ. Ni-  
 hil in Opt. Cæsare fuisse immoderatum,  
 nihil crudele, nihil acerbum & intolerabile:  
 Omnia verò tam in publica quàm  
 in priuata vita temperatissima, modera-  
 tissima, humanissima, mitia, benigna, mã  
 sueta, æqui atq; iniqui, velint nolint, fate-  
 ri coguntur. Hæc verò tanta & tam salu-  
 taria bona, ex vno illo fonte, certa videli-  
 cet de prouidentia Diuina p̄suasione,  
 quæ DEVM res humanas intueri, mode-  
 rari,

rari, metas iustas constituere in animum inducit, fluebāt. Illa verò persuasio dum abest, Princeps omnia infra se posita sibiq; subiecta arbitratur, omnes suis commodis inferuire, se vnū venerari, suo iure aliorum rebus uti posse existimat, omnia suæ potentia & sapientia patere arbitratur, se vnū admiratur, cæteros tanquã umbras volitare sibi somniat, falsa pro veris amplectitur, vera pro falsis accipit, atque ut ipse est animatus, ita DEVM esse opinatur. DIVVS verò MAXIMILIANVS cū ad DEVM omnia referret, & humana instabilia, fluxa & inconstantia duceret, in actionibus & vitæ gubernatione verè equamentum, ut Sexti Pompeij verbo vtar, seu canonem in statera representabat, atque *ισονομία* illam, quam M. Cicero æquilibritatem appellat, studiosissimè obseruabat. Paululū autem impulsus, vel affectione animi, vel (ut homines sumus) persuasione, (quis enim, quàm multæ insidiæ bonis Principibus struantur, quàm multis in vita molestijs, quibus constantissimos etiam moueri interdū oportet, obruatur, ignorat?)  
 cū

cùm in hãc vel illam partem ferebatur, ad mediũ subitò se contulit, & recti propositi tenax, absq; vlla morositate aut sæuitia fuit. Plato animorum bonitatẽ declarãs, metalla inter se cõfert: Ferro nihil vilius, nihil durius: cõtrà Auro quid vel mollius vel nobilius? Itaq; quò melior & purior est animus, eò mollior: quò mollior, eò nobilior: quò nobilior, eò ad regendos alios aptior. Disputẽtalij Regna constitui tyrãide: applaudẽt multi: ego beatos & Principes & populos statuo, quibus diuino bono gubernator, cui aurea mens sit, cõtigit. Cũ verò Princeps nulla arte melius suos in officio cõtineat, quã si seipsum contineat: In sæuissimis Reipublicæ Christianæ tempestatibus, & quibus, vt dixi, grauiores vix in vllius Cæsaris imperio coorte atq; excitatę sunt: ita Rempubl. DIVVS MAXIMILIANVS gubernavit, ita tẽperavit, ac quorũdam vehementiam & duritiem inflexit, vt vel nullum vel exiguum damnũ, ipso ad gubernacula sedẽte, Respub. acceperit. Nõ dies, sed annus me deficere, si illustrãda ista exẽplis essẽt: Neq; ego vllius ingenij  
facul-

facultatem aut copiam sermonis tãtam, addo etiam memoriam esse arbitror, vt dicendo assequi, atq; exprimere omnia possit. His quidem superioribus duodecim annis, quibus in cõsuetudine intima Opti. Imperatoris fui, plurima pro meo captu obseruauit & annotauit. Sed recitare ista hoc in loco, esset totius vitæ Narrationem cõtexere. Cũ Maiestate summa parem atq; æqualem fuisse mansuetudinem & humanitatem in Cæsare nostro coniunctam, ac morum suauitatem grauitati mixtam, qui vnquam in colloquiũ cum DIVO MAXIMILIANO venerũt, siue infimi, siue mediocres, siue summi fuerint, perspexerunt. Itaq; non minus verè, quã Titus Vespasianus Cæsar, qui sibi imprimis hoc laudi ducebat, Neminem è conspectu & colloquio suo tristẽ, dimissum, de se dicere potuit. Neminẽ certè aduersatũ fuisse, nemini dum per valetudinẽ licuit homines audire, & negotia exequi, aditũ interclusum: Neminem ab Imp. Opti. in summo dignitatis fastigio collocato, & in vita occupatissima constituto, compertum, qui si minus  
suis



suis rebus accommodum, benignum tamen responsum tulerit, scimus. Verissimè igitur boni omnes **DIUVVMAXIMILIANVM** Amorem & delicias generis humani appellârunt. Nullû ex eo verbum, nisi mite, lenè & moderatû auditû. Nemo illo humanior atq; comior visus. Denique suaui loquentiâ illam, quæ Pericli tribuitur, verè in illius labris resedisse animaduersum: Sed de his quæ nota sunt & omnibus perspecta nihil attinet plura in mediû afferre. Si Diuus **MAXIMILIANVS** moderatus non fuit, nemo vnquam fuit, aut certè nõ erit. Clementiæ autè **AVGVSTI**, quæ virtus summorum Principum, cum nulla re ad **DEVM** propiùs accedât, quàm hominibus salutem dâdo, propria est, singularem planè atque diuinam Opt. Imp. fuisse, tot sunt exempla, quòt eorum nomina recenseri possunt, qui vel Maiestatem læserunt, vel in criminibus deprehensi, digni, suo iudicio, pœna atque animaduersione iudicati. Cum primùm è vita **DIVVS FERDINANDVS** excessisset, quid nõ aduersus Imperatorem nostrum Ioânes Sigismundus

mundus Dacię Weiuoda, dum Hungaria' regnum per vim & fraudem suam facere conaretur, est machinatus? Viribus autem destitutus, an nōn omnem Turcicam potentiam & immanitatem, annōn Tartarorum rabiem & vastandi libidinem, in nos commouit? Quas verò machinas Regni HUNGARIÆ Proceribus, vt eos à fide & obsequio dimoueret, & ad defectionem sollicitaret, non adhibuit? Cōtrā IMPERATOR noster Duce fortissimo viro, & militaris rei peritissimo, denique scientia literarum optimarum, & consiliorū sapientia præstantissimo Lazaro Suendio vsus, Tokgaium expugnauit, Zatmarū atque alia loca munita cepit, totamq; prouinciam, quæ trans Tibiscū est, in suam potestatem redegit. Sunt inuidi & imperiti rerū aestimatores, quorum iudicijs nihil iniquius est, qui iniuriosissimè de fortiter & præclare factis loquuntur. Sed omnes boni, qui norunt quāta Tartarorū impressio, quā non sustinuerunt tantū, verūm cōsilio Ducis fregerunt: & quā Turcarum immanis impet<sup>o</sup>, & hostilis conatus, quē

com-

compresserunt, fuerit, Cæsaris sapientiã & Ducis atq; militis virtutẽ, veris & magnis laudibus prædicãt. Vt ad veritatem omnia dicam (quod mihi propositũ est, meq; illud religiosè tenere sanctè affirmo) a vero non abest, Imperatorẽ nostrũ semper inuitum ad arma descendisse, & omnia prius consilio quã armis experiri voluisse. Hæc qui improbat, omnium sapiẽtũ iudicijs ineptè & odiosè repugnat. Fortitudo & militares virtutes frequentius, & cùm in oculos incurrant à multis, togatæ autẽ atq; placidæ semper verius sunt laudatæ. Quantũ. n. pax in humanis rebus bello præstat, tantum earum virtutum quæ pacem conficiunt, prædicatio, quàm bellicarum, quæ etiam in barbaris hominibus, neque hac appellatione dignis, inesse vidẽtur, iustior & præstãtior. Itaque nos meritò Cæsaris clementiam celebramus, & hostes qui in sapientem victorẽ incidunt, verè fortunatos existimamus. Inuicti enim animi Imperator, nõ modò iniuriarum oblitus, in gratiam Weiuodam recepit, verum etiam Transyluanix Principẽ nominauit. Tantũne?

Imò

Imò cū ille Casparum Bekeffium, qui oēs odij & malevolentiaē numeros in Austria cam familiam impleuisset, legatū Spiram misisset, ita accepit, vt nihil in quēquā benignius fieri posse videatur. Primū enim cū valetudo Bekeffij maximis dolorib⁹ colicis affligeretur, me ex itinere inuitum sanè ad istum misit: Deinde cū Principis Cluia filiam ex Cæsaris sorore natam, in matrimonium Weiuodæ peteret, omnē operam vt hoc effectum redderet, dedit. Aliter DEO visum est: Nam cū hæc ipsa agerentur, ac potius iam acta ac transacta essent, Ioannē Sigismūdū è vita euocauit. Bekeffius verò cū de suorū fauore omnia certa sibi persuasisset, ad res Dacia animū adiecit. Non obstetit Cæsar: Et cū rebus infeliciter tentatis & pernitiōse perturbatis, in aulā Cæsaris reuertisset, ita est in aduersa fortuna habitus, vt ne homo quidē, si tāti meriti tātæq; benignitatis obliuisci possit, estimandus sit. Qua autē clementia in Dobonem, Ianū Balassum, Homonæū & multos alios Cæsar sit vsus, lōgum esset referre. In Germania etiam nostra, quot exēpla māsuētudinis & clemētiaē statuit?

C Certè

Certè iudicium M. Ciceronis de Cæsare  
 representauit, cum nihil fortunam ipsius  
 maius habere, quàm quod posset, nihil na-  
 turam melius, quàm quod cuperet, quàm plu-  
 rimos cōseruare, adiuuare & tueri, dixit.  
 Ac nisi piaculū existimasse, quicquā con-  
 tra Imperij autoritatē facere, ea ipsa que  
 Senat<sup>9</sup> Imperij decreuerat, minus seuerè  
 executus fuisset. Quàm verò Cæsari vale-  
 tudo & vita Principis curæ fuerit, quàm ad-  
 uersus illius casus acerbus, cum nō semel  
 Sacratissima Maieft. Imp. me ad Ioannem  
 Frid. II. Saxonix Ducem ablegauerit, non  
 ignoro. Fortasse hęc naturæ bonitatem &  
 mollitiē seueriores Iustitiæ obseruatores  
 remissionē interpretātur. Verum mihi de  
 dictis & factis Imp. MAXIMILIANI II.  
 cogitanti in mentem illud venit, quod ad-  
 mirandæ sanctitatis vir Macedonius Theo-  
 dosium Imp. monuit, hac oratione vsus:  
 Memineris te non Imperatorem tantum,  
 verum hominē esse: non igitur quæ Impe-  
 ratoria potestas sit, sed quæ humana infir-  
 mitas cogites: Non Maiestatem tuam, sed  
 naturam spectes, & cum homo sis eiusdē  
 naturæ qua alijs; cumq; ad imaginem DEI  
 condi-

conditum hominem scias, nequaquam temere vel crudeliter diuinā effigiem lædas, cui ne pilum quidem, fera pœnitētia ductus restituere possis. Hoc etsi Imp. noster non à Macedonio audiebat, neq; fulminis ictum, quē D. Ambrosius in Theodosium Imp. emisit, sentiebat, sibi tamen intus Macedonij cantilenam canere, vita vniuersa, moribus & actionibus ostendebat. Gloriosè fertur Alexandri Seueri imperium incruentum fuisse, quantò verius hoc de DIVI MAXIMILIANI II. Imperio dici potest? Tenebat autem illud quod elegans Poëta scripsit:

*Sit piger ad pœnas Princeps, ad premia velox,  
Et doleat quoties cogitur esse ferox.*

Cū igitur ea via Iuris esset, vt nullus locus gratiæ vel clemētiæ relinqueretur, & per Iustitiam pœnam remittere nō posset, ita bonitate sua Iuris acerbitatem cōtemperabat, vt etiam illi, qui pœna afficiebātur, beneficio se affectos iudicarēt. Quosdam sceleratè malos, in ista animaduersionis remissione & tarditate quasi puniendi, elapsos, verissimū est. Summū Ius, summam esse iniuriam Opti. Imperator statuēbat:

Iustitiæ tamen ita erat studiosus & obser-  
 uans, vt nullius vnquam vox, nullius que-  
 rela, qui iniuste secū esse actum, cum Opt.  
 Princeps cognitionem causæ habuit, cō-  
 quereretur, exaudita fuerit. In rem enim  
 ipsam iudicij perspicuitate penitus inspi-  
 ciebat, & quid veri atque recti inesset, in-  
 tuebatur. Nullius respectu quicquam cō-  
 tra iudicij veritatem statuebat: sed scopū  
 causæ propositum tenens in illius arcem  
 quasi inuadebat. Epicteti Philosophi hoc  
 est: vnā quālibet rem suā habere ansam,  
 qua apprehēsa commodissimè ea teneri,  
 tractari atq; perfici possit. Quā verò felici-  
 tate, qua agilitate & dexteritate ansam il-  
 lam rerū **D I V V S M A X I M I L I A N V S** ap-  
 prehenderit, quā in operosis & magnis re-  
 bus suscipiendis, gerendis & conficiendis  
 solers atq; industrius fuerit, sciūt qui Rei-  
 publ. Christianę curam, ipso ad gubernac-  
 ula sedente, gesserūt. Omnibus rebus se-  
 nectus & morbus viriditatem aufert. Ac  
 duo summi viri, Dominus Ioānes Traut-  
 sonius, & D. Leonhardus Harrachius Se-  
 nior, Barones inclyti & maximis muneribus  
 perfuncti, in quorum pectore quasi  
 Imp.

Imper. Maieſtas acquieſcebat, etiam ſi ipſi quietem nature & labori debitã videbantur deſiderare, nullã tamen alacritati Dñi ætatis atq; læguoris excuſatione moleſtiã afferebant. In bonam partem alij fidiffimi conſiliarij, qui à me hoc in loco nõ numerantur, accipient. Illuſtris Domini Bernſtenij velleris aurei Equitis dignitas atque amplitudo, D. Weberi ingenij acumen, D. Viheuſeri, D. Melij induſtria, non requirunt meum præconium. Ad Cæſarem vt redeam: Plato virum integrũ quadratũ appellat: Solius tamen DEI eſſe aſſerit, *τετραγώνον ἀνεψόγῃς*, Quadratum abſq; vlla reprehẽſione eſſe: Quæ enim eſt aut reperi poteſt in rebus humanis perfectio? Sed ſi vlli homini perpauca, quæ in homine abſoluta putamus, defuerunt, Diuo MAXIMILIANO defuiſſe, gratè & verè commemorare poſſumus. Exẽplis hoc illuſtrare tam eſſet promptũ, quàm non neceſſariũ, cũ vniuerſa Imperij adminiſtratio illis plena fit, nec multorum annorũ geſta breui orationi includere conueniens videatur. De factis verò & euentis diſputare, cùm rerum cauſas ignores, in tanta hominum



ineptissimorū flagitiosa licētia, facile quidem est, sed valde iniuriosum. Incurrunt PRINCIPVM facta in oculos: cōsiliorum & actionum causæ, addo etiam callidorū hominū, à quibus sepè specie recti falluntur senes atq; sapientes, non item. Admirari igitur futilitatē & leuitatē peruulgatā de Principibus pronunciādi, stoliditatis ineptæ, ne dicam, impiæ est: Imitari eam, summę improbitatis, & cum scelere coniunctæ: Siquidem tantæ tibi curæ est Critice, quid ab optimo Imp. MAXIMILIANO rectè vel secus sit factū inquirere, profer obsecro, quas hic noster AVGVSTVS Imperij partes labefactauerit? Quibus Rebus publicis damnum dederit? vbi suo loco defuerit? Nolo recitare rectè facta, longum enim id esset. Annón in Italia sententiam Pōtificis pro dignitate Imperij rescidit? Nónne suam authoritatē, inter Reges terra mariq; bella infestissimis animis gerentes, interposuit, & pacem composuit? Nónne incendium in media Germania ortū restinxit? Belgio defuisse, si quis existimat, iniquè & inconsideratè iudicat. Quis cum iuaret, qui ipse sibi omnibus modis aduersus

aduersus & iniquus est? Nō debeo ista plena acerbitatis & doloris attingere, cū quæ incredibili fauientis Martis ferocia & immanitate facta sunt, omnium animos & sensus perturbēt. Turcicam fortasse rabiem minus fortiter repressisse cēses. O magnā iudicij intemperie. Quid, obsecro, nostræ sunt vires, si vt distractæ cū Turcarū coniunctis conferantur? Esse autem Turcarū potētiam ad istū modum auctam, vt duo maxima Imperia per vnum Mahumetem sint direpta, Duodecim regna Christianæ Reipub. adempta, virtutine barbarorum an nostro vitio tribuendum sit, in medio relinquo. Molitiones certè intestinas, & ambitiosa atq; pernitiōsa certamina occasione non exiguā, vt in pditis & deploratis ista omnia nūc sint habēda, dedisse, nimirū sera multisq; exitiosa obseruatione docemur. Annō eo ipso tēpore quo Ludouic<sup>9</sup> Galliarū Rex Italā inuasit, Belgradū Hūgarix ppugnāculū captum? Rhodus, qui mur<sup>9</sup> quasi Christiani orbis videbatur, in Turcicā potestātē deuenit? Varadinū expugnatū? Paulò pōst Bachiēsis & Sirmēsis Diocēses excise, Ludouic<sup>9</sup> Rex Hūg. opt.

Iuuenis prælio superat<sup>o</sup>, Buda direpta, bona pars Pannoniæ & Dacię auulsa. Quid? quòd plurima loca, inprimis verò ista, in quibus vera Religio defensa fuit, Mahometica impietate contaminata sunt. Constantinopoli centū & quinquaginta Episcopi aduersus heresin Macedonij conuenerunt: Nicææ Bithyniæ trecēti & octoginta Arianum furorem damnârunt: Chalcedoni ad Bosphorum Thraciæ, sexcenti & triginta Patres Eutyichis & Dioscuri vir<sup>o</sup>, quo nunc quoq; Ecclesias quidã *παραΧριστιανικα* sua dementant, in Synodo represserunt. Quàm fœda, quã nefaria nunc in ijs locis Mahumetana sunt cõuenticula? Quid fit in Epheso, Gallata, Corinθο Achaia, Philippis, Thessalonicæ Macedonia, vbi vox diuina Apostoli Pauli ministerio sonuit? Vbi nunc Arx sapientię Athenę, de cuius Urbis possessione propter pulchritudinē inter DEOS certamē fuisse, proditum est? Certè nostra culpa ab Oriente ad Euphratem, ab Occasu ad mare Ionicū, à meridie ad Æthiopiam, ab Aquilone ad mare Euxinum Turcicum Imperium dilatatum. Nos ferre nosmetipsos mutuò non posse,

in

in oculos incurrit: Itaq; vt distracti alios feramus necesse est. Distractionis causas explicare nō debeo, vtinam adiunctionis vlla ratio idonea reperiri atq; iniri posset. Cęsarıs auspicijs & ductu post Augustana Comitıa bellū est susceptū. Nihil ab Opt. Imperatore actū temerē, nihil cōmissum, nihil prætermıssum, quod Reip<sup>u</sup>. damno fuerit: se atq; suos ciues Turcicis armis opposuit: Ac si à pedestri milite, atq; copijs quas è Germania expectabat, tempestiuē instructus fuisset, haud dubiē res præclare gessisset. Verūm cū iam frigore ad istū modum terra atq; aqua congelasset, vt ad Cęsarıs tentōrium per glaciē nobis aditus esset, militem aduenisse scimus. Madebāt autem paulò pōst omnia imbribus: maximaq; pars eorum qui domi coniuges & liberos habebāt, & in castris tribus ferē mē sibus fuerant, de reditu ad suos cogitabāt. Ægrotabant plurimi atq; moriebantur: Non pauci fortasse morbum simulabant. Mirum igitur, si exēplo Antonini pij Imp. vnum ciuē seruare, quàm mille hostes perdere māluerit. Expugnatum est Sigethū, quod comes Serinius ad extremum vsq;

spiritū defendit: Iulia in potestate hostis  
 deuenit, nulla quidē Cæsaris, aliorūne  
 culpa, dicere nō debeo. Et cū hō tristis-  
 simus atq; acerbissimus casus nūciaretur,  
 ita altū pressit mente dolorē, vt neq; vultū  
 mutauerit, neq; perturbati animi vllū in-  
 diciū dare visus sit. Est fortissimi Comit-  
 is caput allatū, eo non inspecto, suspirijs sibi  
 tanti viri iacturam grauem esse ostendit.  
 Nunciata paulò post morte Solymāni, ni-  
 hil aliud, quām, VIXIT, aiebat. Re verò cū  
 perspectum Cæsari esset, tarda auxilia in-  
 utilia rectè perhiberi, de inducijs cum suc-  
 cessore Solymāni actum. Magna semper  
 Turcarū perfidia, pactis inducijs damna  
 fuisse inuecta atq; illata cōquerūtur, neq;  
 est qui neget: verū velle id quod nequeas,  
 cuius prudentiæ vel magnanimitatis? For-  
 titudo quidē Diui MAXIMILIANI in eo  
 enituit, quod se ipsum omnibus modis vi-  
 cit: quæ victoria omnium præclarissima  
 semper est habita. Scio hæc neq; huius lo-  
 ci neq; temporis esse: ac mihi ab ista narra-  
 tione planè tēperassem, nisi impurissimi  
 homines quib. fingēdo & parietibus affi-  
 gendo quod libet, licet, petulantia sua me  
 com-

cōmouissent. Ab illa igitur nostra imprudentia, vt ad prudentiam AVGVSTI redeam: Qui nullius ingenij, iudicij, considerationis & fœlicitatis putat, Terrorem orbis, qui Oriëntem & Aphricam horribili sua impietate & immanitate replet, qui omnia regna, quæcunq; vel pro sua libidine appetiuit, vel vt inuaderet occasiones habuit, horribili impetu oppressit & deuastauit, hunc inquam terrorem, à populis, quorum ceruicibus imminet, si nō planè auertere, saltē ne incauti opprimerentur, & respirare aliquo modo possint, perficere: fateatur oportet, se calliditatem astutā & malitiosam, immanissimi hostis, atq; nefarias Turcarū artes nunquā intellexisse. De potētia Germaniæ fortiter loq, minime difficile est: perficere vt verè id quod dicitur sit Germania, in solius Dei misericordia sitū. Oēs aut̄ vias persecutū D. Maximilianū, vt Germaniā, inter se verè germanā & cōiūctissimā redderet, si qs negat vel ignar⁹ rerū, de quib. sibi iudiciū sumit, vel impbus est. Quam verò tētatis rebus omnibus spes præclaræ Optimi PRINCIPIS, dum nōs fatalibus pœnis vrgemur, fallat-

fallaces fuerint, exitus ostendit. Monstrū est homo perpetuò felix, ait quidam apud Comicum græcum: Nihil igitur mōstrofi de Diuo MAXIMILIANO cogitare debemus. Ea quidē in proximis Comitijs auxilia ab Imperio, dum redditus & vectigalia in aliorū sunt manu, impetrata, quæ haud scio, an vāquam promissa fuerint. Verūm si rerum omniū difficultatem, si præsentē necessitatem, si præsidiorum in confinijis Turcicis nuditatē, si vastitatē munitiōnū, propter quorūdā inexplebilē cupiditatē, si militis qui se impressioni hostiū fortiter multis annis opposuit, miseriam, si nostros mores, ostentationes vanas & pdigas spectes, nihil profectò nimis. Non debeo hoc addere, quòd quicquid Sacratissime M. Imperator tot superioribus annis à suis synce-  
 ra subiectione cōferētibus habuit, id totū salutis Reipub. Christianæ impēdit. Laborauit de adiungenda Polonia, nō tam sua causa, cui minimè suaue esse poterat Polonos imperio regere, quàm Christianæ Reipu. cuius fines latius extendere, & cō-  
 iensione beneuola Christianorū animos coniungere studebat. Quæ fatalis cœcitas  
 quorun-

quorūdam hominum, qui ne nunc quidē  
 iugum Turcicum sibi impositum sentiūt,  
 obsteterit, nihil attinet dicere, cū in ocu-  
 los & sensus omnes incurrat. Nunquā sibi  
 Opt. Imperator hoc Regnū appetiuit: libe-  
 ra fuit Electio, in qua Rex est nominatus  
 ab optimis & amātissimis Patriæ viris. Ut  
 autē ostenderet, se ab omni ambitione &  
 cupiditate Regni abesse, splendida Lega-  
 tione missa, quæ Regnū obtulit, liberaliter  
 potius & plixè quā temerè aliquid facere  
 voluit. Videbat. n. pro sua prudētia, si se-  
 ditiosis & coniuratis, qui aduersabantur,  
 vis inferretur, Turcis aditum primū ad  
 Poloniam, deinde ad reliquū orbē Chri-  
 stianum vexandū atq; opprimendum, pa-  
 tefacturos. Maluit igitur cunctatione pru-  
 dente & moderatis consilijs turbulentos  
 istos homines ad saniorē mentem reuo-  
 care, quā seueritate iusta, illorum iniusti-  
 tiam & impietatē Patriæ exitiosam, casti-  
 gare. Utinam, iterū utinā, istorū hominū  
 posteritas factum hoc nō detestetur atq;  
 deploret: Utinā vicinis, vicinū malū nihil  
 damni afferat. Sed ad Diuum MAXIMI-  
 LIANVM nostra redeat oratio. Is vt alijs



virtutibus omnib. bono Principe dignis excelluit: ita in primis munificus & liberalis esse conabatur: Ac ut esset, neq; suæ optimæ voluntati obsequens, aliorum à se abalienaret, tāta moderatione vniuersam vitam instituebat, quāta in perpaucos priuatos, qui in aliqua dignitate positi sūt, cadit. Omnia quæ ad insolentiā huius seculi cōparantur, negligere se re ipsa ostēdebat. Nullā ad suū corpus exornādum gemmā à se vnquam emptam affirmabat, & singularem in modum omnibus vitijs moderationi aduersis, bellū quasi indixisse videbatur. In victu singularis erat frugalitas: Rarò cum valeret, amplius vna hora mensæ affidebat. Interdū in colloquia de natura rerum, (in cuius consideratione mentem defixā habebat) delapsus, sui quasi oblitus, diutius sermonē trahebat. Ac si ea tantū, quæ mecum suauissimè de re medica & Philosophia est loquutus, diuulganda essent, sūma illius ingenij magnitudo & vis, iudicij subtilitas, naturæ excellētia, sapientia, rerū maximarū & antiquitatis cognitio insignis eluceret. Verū excludor tempore, & cogitatio atq; oratio dolore intercludi-

eluditur: Si vita suppetet, si tempus dolori  
leuationē afferet, si ratio in hac iudicandi  
libidine suadebit, de his amplius cogitabi  
mus, & quàm in præclaris atq; vtilibus re-  
bus excogitandis singulari fuerit ingenio  
atq; industria, quātum subtilissimarū artiū  
studium, quanta inquisitionis solertia: de-  
niq; quàm minimè ociosus, cū vel reces-  
sus quæreret, vel solus maximeq; ociosus  
esse videretur, proferemus. Nam de mul-  
tiplici linguarum cognitione atq; vsu, de  
memoria expedita, de sapientissimarum  
sententiarū copia, quibus orationē exor-  
nabat, & quæ quasi iudicij regulæ illi erāt,  
quas Cæsarē studiosissimè collegisse, tabu-  
læ & libelli testātur: deniq; de cæteris quæ  
in conspectu sunt, & in ore atq; oculis om-  
niū versantur, quid attinet dicere? Ne ve-  
rò à virtutibus Cæsarīs abeam: Promptio-  
rē fuisse ad supplices libellos excipiendos  
quā egētes ad exhibēdos, oēs cōspexerūt.  
Liberalitatis interdū fontes quasi exhau-  
stos exaruisse, atq; Optimo Imp. vt voluit  
esse, nō permissum: etsi verissimū est, per-  
paucos tamē ac nullos potius, qui de astri-  
cta liberalitate cōquerātur, esse arbitror.

Explere

Explere omnes in ista nō tantum habēdi,  
 sed profundendi cupiditate, nemo Cræsi  
 opibus posset. Itaq; si fortè Diuo MAXI-  
 MILIANO II. plus tributū, quā alijs Impp.  
 necessario tēpore fuerit, nemo mirari de-  
 bet: Ac qui, nescio quid quāsi nimiūm cul-  
 pant, ij cōmoda cum incōmodis nō verè  
 se confere ostēdunt, neq; vicina sibi spe-  
 ctant. Quā enim multi sunt, qui hoc onus  
 non sentiunt, vt nihil propemodum suum  
 dicere possint? Occupantur pleriq; oēs in  
 ostētandis opibus: Nullū in Cæsare ostē-  
 tationis spēcimē reperitur. Ædificationes  
 illius si cum priuatorū quorūdam insanis  
 substructionibus conferantur, aureā me-  
 diocritatem reprēsentant: Verissimū autē  
 est quod quidam dixit, Ædificiorū stru-  
 cturas quo quisq; sit ingenio ostendere: vt  
 Diuū MAXIMILIANVM referant, æsti-  
 mare alios, quā oratione explicare malo.  
 Aberrationes à molestijs vt quæreret, &  
 valetudinis causa interdū excurrere pos-  
 set, extruere suburbanas quasdā domos,  
 & hortos, in quibus sua manu arbores po-  
 steritati profuturas inserere & disponere  
 solebat, cœpit, absolueret & cōuestire qua-  
 si, vt

fi, vt elegantiam ingenij sui exprimerent, nō potuit. An verè illi voluptarias domus fuisse quisquā dicere possit, haud scio. Nā etsi loci amenitas, & culturę insitus quasi vt in Cyro Persarū Rege, amor: Sacratifs. etiā AVGVSTÆ, in cuius pectore omnes Gratias residere, nemo qui nō narrata potius quā vera audit, dubitare potest, præsentia atq; cōspectus ( pomeridianis enim horis interdum ad Cæsarem forās ibat ) ali quam iucunditatem afferre potuisse videbantur: tamen Imperatoris animus nunquam maximarum rerum præsentium & impēdentium cura vacabat. Id cū, quæ est ingenij excellēti bonitate, AVGVSTA animaduerneret, ægrotanti medicinā, orationis cōmoditate & suauitate facere, cūq; ipsa doloris συμπαθῆς afficeretur, suū tamē premere, conabatur. Itaq; sermone, quo parcissimè vtitur, hilaritatem quandā grauitate temperatam præ se ferebat, & summæ Matronę decus studiosissimè obseruabat: Nūquam vllam rem Cæsar voluit, in qua illi aduersatrix fuerit: nullis consilijs, nullis actionibus de Repub. Optima AVGVSTA se admiscere atque implicare studuit.

duit. Vnum hoc egit, vt suo Imperatori bene esset: neq; si id assequi posset, sibi male esse immoderatè ferebat. Ita enim iuū animum cum coniugis coniunxerat, vt ferè vnus ex duobus effectus videretur. Si quis hæc vana & ficta arbitratur, huic mores mei, & vita à vanitate atq; assentatione alienissima, ignota est. Nulla tā vera tamq; eximia præstantissimæ Matronæ laus est, quæ non omnium rectè iudicantium consensu Augustæ tribuitur. Mihi quidē iā de illius squalore lachrymis, & gemitu (quantumuis incredibilem illius animi excelsitatē atq; raram in hoc sexu esse sciam) cogitanti omnes sensus in mœstitia & ægritudine versantur. Quàm verus autē, quàm magnus, quàm omni labe carens Coniugalior amor fuerit, stultū esset si ego velim de hoc verba facere. Ea erat in Diuo MAXIMILIANO vitæ continentia, is pudor, ea sobrietas, vt nullum verbum turpe ne per iocum quidem ex illo auditum, ij, quibus ad interiorem consuetudinem fores patuerunt, integerrimi testes esse possint. Ac si quando de aliorū turpitudine mentio incideret, ista verborum concinnitate obscœ-

obscœnitatem rerũ ex tempore tegebat, vt vix magis idonea diu multumq; cogitanti in mentẽ venire possent. Liberos ita amabat, vt minimẽ illis amorem ostenderet. Ægrotante Maximiliano Archiduce Spiræ, cùm propter morbi diurnitatem medicinam auersari Imperator audiuisset: Meus hic est, inquit. Ad hoc suauiter S. Augusta subridens: Sunt & reliqui, respondit. Nam cùm annis totis viginti nouem in matrimonio cum DIVO MAXIMILIANO vixerit, XVI peperit, denos superstites liberos etiamnũ beneficio DEI habet, simulq; illud decus, quod haud scio an vlli in terris fœminæ contigerit, vt Cæsaris filia, Cæsaris nurus, Cæsaris coniunx, deniq; Cæsaris & duarum potentissimarũ Reginarum mater verissimẽ appelletur, à Præpotenti DEO illi concessum. Æterna hui' benignitas faciat, vt iste lux<sup>9</sup> in quo nũc iacet, ompium aduersitatum & dolorum Sacratifs. Augustæ finem imponat, & heroicas illius animi dotes, ad beneficentiam comparatas, diutissimẽ hominibus consolationi & adiumento esse sinat. Patientiæ piæ atq; prudentis exemplum

fingulare in vno Cefare Dño, codẽ & ma-  
 rito habuit. Is tot moleſta, tot aduerſa, quã  
 ta vix vllus alius, maximo animo, & nulla  
 propemodũ offenſione acerba, tulit: Cõ-  
 motus grauiter, nunquã iracundẽ aliquid  
 fecit: Obrutus curis placidẽ reſpirabat, ne-  
 que intoleranter quicquam ſe ferre oſten-  
 debat. Memini cùm in Auguſtaniſ comi-  
 tijs totum diẽ grauiffimis negotijs fuiſſet  
 occupatus, ad cœnam feſſum & anhelan-  
 tẽ accedere, atq; hoc dicere: Nemo mihi  
 meritò hoſ honores cũ rãtis onerib. cõiũ-  
 ctos inuidere poteſt. Pindarus grauiffimũ  
 laborem ἀποσώρατον, id eſt, viſu intolerabilẽ  
 appellabat: Quãm ſepẽ præ defatigatione  
 cibum capere Imperatorem non potuiſſe  
 cõſpeximus? Ceſſator dum modò res age-  
 re poſſet, nunquam fuit: ſibi negotiũ, alijs  
 ocium parare ſtudiit: Ac cùm paulò eſſet  
 validior, nunquam ſe prius ſomno dedit,  
 quàm epiſtoliſ & edictiſ ompib. ſubſcri-  
 piſſet: Tantus interdũ fuit ſcriptorũ acer-  
 uus, vt nihil mirũ ſi ſubſcriptione ea ꝑ ꝑba-  
 re viſus fuerit, à quib. animus abhorreret:  
 Minus verò cumulatẽ cũ eſſent allata, ita  
 ſe attẽtũ oſtẽdit, vt ſcripta vel ad authores  
 redi-

redirent, vel quidam cū suo dedecore rube-  
 berent. In morbis qua fuerit patiētia, diffi-  
 cile est dicere: si possē cōmemorare, quod  
 nullo modo possū, nemo lachrymas, quā-  
 tumuis magnum illi sit circum præcordia  
 robur, contineret: Palpitare cor supra xx.  
 annos sensit: Neq; hoc malum Genuę, ad  
 quam urbem ex Hispania (in qua bienniū  
 cum imperio præclare fuit) reuersus appu-  
 lit, verū cū Wasserburgum Tridento  
 ex Concilio venisset, primū inuasisse sci-  
 mus. Quæ initia illius, quæ progressiones  
 fuerint, nō debeo cōmemorare: recorda-  
 tiones enim fugio, Sæuissimum autē esse  
 quocunq; cor laborat, (etiā si Medici pro-  
 pter neruorū paucitatem, quib. irrigatur  
 quasi cor, dolore non infestari illud, existi-  
 ment) minimè dubiū. Omnē verò doloris  
 sensum, cū mens in societate mali trahi-  
 tur, adimi, cōsentaneum est. Querelæ igitur  
 & clamor, cū in propinquo ac quasi  
 præforib. est oppressio, absunt: Gemitus  
 & suspiria, laboris extremi vis effudit. Et-  
 si verò tot Diui MAXIMILIANI dolorū  
 species, quot Imperij dies numerari pos-  
 sint: tamen extremus actus, quā patiens



doloris esset, quàm magno animo per cōtinuas ærūnas ad spem melioris vitæ aspiraret, se ostendit. Venit ad comitiā Ratisbonensia: vt venerit, vt isthīc fuerit, in recente omniū est memoria. Qua oratione, cū deliberationum initiū est factū, vsus fuerit, Principū & Ciuitatū legati meminerūt, & in promptu esset referre. Quàm verò Heroici motus sint vehemētes, pauci intelligūt. Moscouitarum etiam ardor Imp. nō nihil incendit. Vnde autem illa in pectore illuies, qua extinctus, orta sit, cogitare quā dicere facilius est. Mihi crebra suspiria indicio fuerunt, iam tūc fuligines cordis, quę expirando repurgantur, intus retentas, & in aqueum humorem versas. Itaq; in Cæsare nostro, sanctè demortuo, supra duas mensuras aquei humoris in cavitare pectoris, relictas, cū quidē natura diu per vrinæ meatus plurimū auxiliij sibi tulisset, cōspeximus: iste verò naturæ motus, vt ad extremū impeditus fuerit, nequeo præ summo dolore cogitare, tantū abest vt eloqui queā. Est autē vsitatū in nostra scientia, hāc affectionē, sicut diuinus Hippocrates docuit, pulmonis hydropē appellare.

In

In vētrem quoq; aqueus humor (id quod ab Hippocrate monemur) iam cōfluebat, & sepe me monuisse, si lōgior morbus fieret, Cæsarem Hydropicum futurū. Sciunt hoc qui verum potius fateri, quā innocentiam sceleratè lædere malūt. Ad me verò quod attinet, nihil qd hic vel ille malitiosè atq; nequiter cōfingat & narret, curandū existimo, cū nemo nisi improbus & perfidus, atq; pessimè sibi cōsciū, alterius fidē, & rectā conscientiā in dubiū vocare, atq; hoc quod quidam disseminavit, proferre ausit. Ac perspectum est multis, cū ante annos quinq; ventilatio illa, quēadmodū Philistius & Diocles appellant, ita expirationē impediret, vt vix, imò ne vix quidē sesquicyathum absorbere posset, quo successu nobis Sacratissimus Cæsar morem gesserit, nihil addo. Venit ille fatalis & funestus dies, & quidem MAXIMILIANI nomine insignitus, nobis semp & acerbus & honoratus: Venit, inquā, XII. Octo. dies luctuosissimus, & finē Comitij atq; vitę in his terris D. Maximiliano attulit. Nā cū eo illucescente totam superiorem proximam noctem insomnē duxisset, & vires

supra modū laborantes atq; perditas succumbere non obscure sentiret, placidè ea quæ ad breui morituros spectāt, secū agere cœpit: & cū sermonis vsus, pulmonib. aqueo humore oppressis, difficilior esset, per paucis verbis omnium maximarū virtutum, quæ fide CHRISTI instructū decēt, specimē dedit. Necessitatē illam mortalitatis prouidentia diuina metiebatur, & sciebat à DEO nihil ita prouisum, vt propterea euenire, quæadmodū nostra fert opinio, necesse sit: Sed cū euenit, præuisum quidem, prouidentia verò Diuinam causam, quæ vi sua res efficiat, nō existimemus. In humanis reb. non afflictiari prudentes de eo quod euenire necesse sit: multò minus piis disceptandum de ijs, quæ optima DEI voluntate eueniūt: Sed in diuina bonitate, quæ omnia afflictionum & vitæ momenta in numero & quali in manib. habet, acquiescendum. Nihil. n. mali æterna bonitas de nobis statuit. Hęc Diuo MAXIMILIANO ita pectori inscripta & insculpta fuisse animaduertimus, vt nullū prorsus perturbati & consternati animi iudiciū in morte dederit. Quin igitur sancta & firma fide

in

in CHRISTI Messie vnici merito & satisfatione defixa, quæ fides nobis in mortalitatis tenebris ad æternâ vitam præluceat, & aduersus oēs impressiões munit, deniq; in ipsa morte victoriam reportat, donatus fuerit, cum nemo hominũ ad illius horrendæ tempestatis motũ in migratione ad immortalitatem, nisi à DEO vera mentis constantia cõfirmatus sit, se valentem atq; inuictum præstare possit, nullum dubiũ est. Accedebat fortè tũc ad lectũ Rudolphus Kahn à Balassi, Imperatorij stabuli præfectus, quo & libenter & familiariter Cæsar utebatur, ad hũc, sensim sibi spiritũ eripi, hilari quasi fronte, dicebat. In dormiscere sæpè videbatur, sed subito oculos attollebat. Venit igitur mihi in mentẽ, quod Pausanias in Laconicis refert, Locris simulachra somni & mortis vtrinq; posita fuisse. Nam cum animam noster Imp. ageret, nõ vt isti quib. persuasione quadã mens ebria vel dementia cœca est, mortẽ cõtempserit: sed clausis oculis iacebat, eosq; subinde aperiens, in vnicum salutis suæ portum IESVM CHRISTVM precib. intētus, suspirabat. Græcis *δοξασθαι* mori est, idq; quasi *ἀνευθύνειν*.

id est, sursum tendere, dici arbitror. Hoc si quid aliud in obitu Diui MAXIMILIANI II. dum nullam vitæ huius cupiditatē, nullū mortis metū, sed ad obeūdum illius vadimonium, singularē animi præsentia & quasi alacritatem ostēderet, conspexim'. Sciebat haud dubiè, quod D. Ambrosius de Theodosio inquit, regnum se non deponere, sed mutare: & vt D. Cyprianus ait, Eius esse mortem timere, qui ad Christum nō vult ire: Neq; verbis virtutē ostēdendam, & factis veritatem destruēdam. Itaq; per paucula loquebatur, re verò perspicere omnes voluit, se multò libentiùs semel mori vt semper viuat, quā diutiùs in terris istam captiuitatem expetere. Cū autem piorum animæ morte ex corporis carcere, ad beatitatē è miseris vitæ huius prælucentibus diuinæ lucis radijs euolāt, Ita DEVS cum suis mirificè agit, vt gloriā per ignominiosam corporis abiectionē, gaudium per tristitiam, foelicitatē per miseriam, Vitam per mortē operetur: Mors igitur eorū, qui Duce Christo ex hac vita migrant, quid aliud quā de mortalitate ad æternam immortalitatē, de laboribus &

ærum-

erumnis ad quietem verã, de fide ad certã  
 noticiã, de spe ad propositũ præmiũ, de  
 peregrinatione ad æternã patriã, denique  
 de Mundo ad Deum & hæreditatẽ nobis  
 à Christo partam, traiectio dici debet? Im-  
 piorum verò interitus, horrẽda fuga Dei,  
 in Virgiliano versu, Vitaq; cũ gemitu fu-  
 git indignata sub vmbras, descripta. Hoc  
 malo nullum esse vel cogitari posse horri-  
 bilius, ex eo apparet, quòd homo diuino  
 præsidio destitutus, nisi fallacibus vmbris  
 quibusdã persuasus, humanis rebus infeli-  
 citer innitatur: ad mortis menciónem ita  
 toto pectore & corpore perhorrescit, vt  
 interdum concidat. Ista verò impiorum  
 consternatio, pijs, quanta æternæ læticiæ  
 & beatitudinis vis sit, quam nec eloqui lin-  
 gua, nec mens humana cogitatione concipere potest, aliquo modo ostendit. In-  
 stabat hora antemeridiana nona, & iam  
 decretum Imperij in Senatoria Curia re-  
 citando absolutum fuerat, cùm ad eos qui  
 tum aderant, Imperator inquit: Exopta-  
 tam suæ salutis horam aduenisse: atque (vt  
 D. Cypriani verbo utar) non tam necessi-  
 tatis vinculo, quã pietatis obsequio se ad  
 æterna

eterna trahi ostēdebat. Intromissus igitur  
 ad Cæsarem D. Lambertus Gruterus Ec-  
 clesiastes Aulicus & Episcopus Neapoli-  
 tan<sup>o</sup>, vt de Christi merito & satisfactione,  
 quę nostra est Iustitia, qua peccata morte  
 Filij DEI teguntur, æterna pœna propter  
 Christi sanguinem innocētem pro nobis  
 reis asserendis fusum, remittitur: salus de-  
 niq; & vita eterna nostra culpa amissa, per  
 Christum vnicū Deprecatorē & Messiam  
 nostrū restituitur: tātū vt loqueretur, nec  
 quicquam aliud admisceret, Imp. voluit.  
 Sciebat. n. in vnicō Christo oēs partes salu-  
 tis nostræ, & vitæ æternæ thesauros sitos.  
 Itaq; in extremo isto actu, Christi iustitia,  
 quā obediēs factus ad mortem vsq;, nobis  
 promeritus est, nos circūuestitos & muni-  
 tos esse, vt in Diuino iudicio cōsistere, &  
 per mortē ad vitam æternā transire possi-  
 mus, oportere. Christi potentia nihil vali-  
 dius; Christi veritate nihil verius, nihil cer-  
 tius; Christi misericordia & ad iuuandum  
 propensione, nihil promptius & paratius:  
 Christo fidem adhibere, eiusq; sanguinis  
 meritum pluris, quàm omniū nocētium  
 peccata facere, certa fiducia suū ducere,  
 & ad

& ad hunc Patronū isto modo grata mēte  
 se applicare, esse in morte vita æterna po-  
 tiri. Cū igitur Episcopus suo officio functus  
 esset, & ad extremum, An in ista fide mori  
 vellet, Imp. MAXIMILIANVM interro-  
 garet: Non aliter, Opt. Cæsar respondit. Et  
 sic dextro lateri tanquā ad somnū cōposi-  
 tus, incūbēs, animā fidissimo Pastori Chri-  
 sto placidissimè reddidit, atq; vitā caducā,  
 vitam fallacē, vitā ærūnosam, vitā errorib.  
 & miserijs plenā, cum Vita perpetua, vita  
 secura, vita beata, vita vera & immortali  
 cōmutauit. Quis hāc mortē non, vt Græci  
 & Hebræi loquūtur, perfectionem dicat?  
 Cæsarī quidem optata, cū illius in terris  
 vita verè *βία*, id est, vis & acerbitas fuerit:  
 nobis verò omnib. lachrymis deplorāda.  
 Cum columna quæ domū sustinet, si quis  
 illi sensus inesset, nemo malè actum, si illa  
 sublata onere ferendo leuaretur, putaret.  
 Quæ verò pericula, quæ damna vniuerso  
 ædificio inferantur, quā tristis ruina conse-  
 quatur, qui nō videt, infeliciter cæcus est.  
 DIVS quidem MAXIMILIANVS (ea  
 quæ sapiētum Imperatorū omnium cura  
 fuit) cū in Interregno nihil non mali exē-  
 plis




plis edoctus inesse sciret, vt is qui susten-  
tando damnum auerteret, sufficeretur, o-  
peram tēpestiuè dedit. In istius igitur co-  
lumne, quam ipse diuina benignitate sub-  
stituit, bonitate, in illius cōsilio & auxilio  
nostra spes, nostra cōsolatio, nostrum desi-  
deriū fixū esse debet: atq; vt hæc ab Præ-  
potenti Deo cōfirmetur, stabilis & diutur-  
na sit, omnibus votis exoptandum. Quē-  
admodū verò egrotantes, cū in summis  
doloribus versantur, cōspectu Medici ita  
affici animaduertimus, vt quasi minus do-  
lere sibi videātur: sic & noster animus tri-  
stitia & desiderio grauissimo laborans, mi-  
nus dolere, cū eum qui subuenire nobis  
possit, cōspiciamus, debet. Fatalia esse no-  
mina multorū opinio, Rudolphi verò no-  
mē Germanis cōsiliū & auxiliū sonare,  
certum. Sūt & alia quasi in hac rerū fatali  
cōuersione obseruata, quæ explicare hoc  
in loco nō debeo. Illud potius cogitandū,  
vt non quātum bonū sit ereptum, sed quā  
magnum nobis relictū, grato pectore agnos-  
camus. Vt igitur Rudolphus Imp. Augu-  
stus verè nobis & vniuersę Reipub. Chri-  
stianæ sit secundus & salutaris, vt sicut D.  
Maxi-


Maximiliani virtutes refert: ita ijs afflictã Germaniam beet, ea mente precemur vt speremus, ita speremus vt confidamus. Ego quidem Sacratissimæ M. Parentē in eo reuicturũ, cũ illius Regias animi dotes, Dei metum, pietatē, rectissimam voluntatem, moderationem prudentem, bonitatem & benignitatē intueor, planè mihi persuadeo. Itaq; quòd hanc senilem vitã, hosce viuaciores canos, præcipuis ferè sensibus corporis admodum debilitatis, p̄duco, æquiore animo fero: & Opt. Cæsaris Rudolphi lachrymas atq; officia extrema, plena curæ, plena pietatis, plena memorię, quę sancto Parenti præstat, hoc tenui orationis munere adiuuo. In illum omnium gentium oculos eadem acie, qua Diuum Maximilianum intuebantur, nũc coniectõs esse, oēs spes & fortunas Christianæ Reip. in illo repositas video. Proinde quod vnum possum, vt grauissimo Imperij onerē ferendo æternus Deus vires suppeditet, illum saluũ & incolumem nobis conferuet, omnibus bonis augeat, mala clementissimè auertat, precor, & ad extremum vsq; spiritum precaturus sum.


Vtinam

Vtinam DIVE MAXIMILIANE (quod mihi sæpè in optatis & equius fuit) demortuus superstitem te reliquisset. Nunc extremum hoc vitæ meæ spaciū, quod te benignitate tua sustentaturum sperabam, in desiderio, luctu & mœrore, morborum etiã multiplici accessione acerbissimū experior: & ad te, qui in horrida ista tēpestate portū trāquillitatis beatæ, celerius opinione nostra, tenuisti, cursum dirigo, utq; in eū, omni pelagi impetu superato, Christo duce atque authore inuehar, suspiro. Da optime Christe salutem, cōsiliū atq; auxiliū Imp. Rudolpho, & Augustissimam Austriacam domum florentem propitius conserua. Salue & vale Diue Maximiliane, tuæ & dulces Exuuiæ prope beatum tumulum beatissimi Parentis tui sanctè requiescant: donec optatissimū & letissimū dies fœlicem tuam animam, quæ nunc vexillum victoriæ tuæ atq; trophæū in cœlesti arce statuit, huic tuo corpori, & nos tecum in vita atque gloria immortalī coniungat.

F I N I S.









E.

2